

2. *Et vidimus, et testes sumus.* Forte aliqui fratrum nesciunt, qui graece non norunt, quid sint « testes » graece. Et usitatum nomen est omnibus et religiosum; quos enim testes latine dicimus, graece martyres sunt. Quis autem non audivit martyres, aut in cujus Christiani ore non quotidie habitat nomen martyrum? Atque utinam sic habitet et in corde, ut passiones martyrum imitemur, non eos calcibus persequamur. Ergo hoc dixit: « Vidimus, et testes sumus »: vidimus, et martyres sumus. Testimonium enim dicendo ex eo quod viderunt, et testimonium dicendo ex eo quod audierunt ab his qui viderunt, cum displiceret ipsum testimonium hominibus adversus quos dicebatur, passi sunt omnia quae passi sunt martyres. Testes Dei sunt Martyres. Deus testes habere voluit homines, ut et homines habeant testem Deum.

« Vidimus, inquit, et testes sumus. » Ubi viderunt? in manifestatione. Quid est, in manifestatione? in sole, id est in hac luce. Unde autem potuit videri in sole qui fecit solem, nisi quia « in sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam »? Ille ante solem qui fecit solem, ille ante luciferum, ante omnia sidera, ante omnes Angelos, verus creator, — quia « omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil » —, ut videretur oculis carneis qui solem vident; ipsum tabernaculum